

0020 A 231
6

Just:
III. C. 1.

0.

8
13

DISPUTATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA,
DE
VERSIONE LXX
INTERPRETUM,
QUO TEMPORE ILLA
FUERIT ADORNATA?

QVAM
SS. TRIADE AUXILIANTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HAEREDE, &c. &c. &c.
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
PRO RECEPTIONE IN EANDEM,
IN ACADEMIA PATRIA,

placide Eruditorum συζητησιν exponet
PRAESES

M. MICHAEL GRONERT,
Reg. Pruss.
RESPONDENTE,
CHRISTIANO DEUTSCH, Reg. Pr.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO, H. C.
Anno MDCCIV, die 29. Octobr.

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS,



VIRO MAGNIFICO,
MAXIME REVERENDO, AMPLIS-
SIMO, EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,

DN. FRIDERICO
DEUTSCH,

S. S. Theol. Doct. & Profess. Publ. Primario,
Aulæ Prutenicæ Concionatori supremo,
Sambient. Consist. Assessori,

Hoc tempore

BREGELIDUM

PRO-RECTORI

splendidissimo:

MÆCENATI,
PATRONO,
HOSPITI,

ad tumbam colendo



QVæſivit jam dudum, VIR. MAGNIFICE, meus beneficiis tuis undiquaq; immerſus animus, quæſivit *Interpretem*, cujus beneficiô promptitudinem ſuam ad gratias TIBI, non perſolvendas, hoc enim vix Cræſo poſſibile eſſe intelligit, ſed publicè ſaltem agendas aperiret revelaretque: & ecce invenit *primitias*, ſolent hæ ipſi DEO placere, *primitias* Cathedræ ſuperioris Philoſophicæ, reperit *Interpretem*, diſputationem de LXX Interpretibus Nomini Tuo inſcribendam. Sed erubeſcit non immeritò in conſpectum Tuum prodire miſera hæc gratitudinis *Interpres*, nec *plumbum* pro *argento*, nec *cuprum* pro *auro*, imò ne *ſilices* quidem pro *unionibus* TIBI oblatura. Quare ut gratiam inveniat, excluſum ab Admeti gratiâ Themiftoclem imitata † Filium tuum, *effigiem*

† Plutarch, in vit. Them,

)o(

huma-

humanitatis & probitatis Tuæ juvenem industri-
um optimèque moratum in Patriæ spem, familiæ
ornamentum ac Nominis Deutschiani insignis de-
cus feliciter succrescentem, comprehendit, ac se-
cum adducit, favorem aliàs frustra desideratum
propter illum consecutura. Placeat ergò, φιλοσοφῶν
γονεῖς τὰ τέκνα, τὰ ἐξ αὐτῶν, ὡς ἑαυτοὺς, * placeat hæc filio tuo
innixa qualis qualis gratitudinis *Interpres*, mihiq;
ad vitæ usque occasum perpetuum favoris Tui
ortum efficiat. Cæterùm qui nunc per *Interpre-*
tem Tecum, absque *Interprete* cum cordium
Scrutatore agam, assiduasq; pro Tua, totiusque
Familiæ prosperitate preces non emittam, sed
effundam, imò ero, donec planè non ero

TUÆ MAGNIFICENT.

* Arist. VIII.
Eth. è. 14.

Obsequiosissimus

M. MICHAEL GRONERT.

P R O O E M I U M.

GRÆCÆ S. LITERARUM V. T. VERSIONES aliquot jam olim antiquitus adornatas fuisse, vel levis antiquitatis inspectio nos dubitare non finit. Clem. Alexandr. testimonio fulus Aristobuli Judæi Peripatetici *versas fuisse in Græcum Scripturas jam ante tempora Alexandri, indeque Platonem & Pythagoram nonnulla hausisse asserit*, lib. 1. Strom. p. 342. Quod tamen Genebrardo, Masio, præf. in Græc. editionem Josuæ, atque annot. suas p. 121. Serario Proleg. c. 16. q. 2. aliisque arriserit, nonnullis tamen eruditorum parum verisimile videtur, inter quos est Epiph. lib. de Mens. & Pond. n. 9. Baronius, Lud. Capellus Crit. l. 4. c. 1. & Gerhard. in Exegef. L. de Scrip. S. §. 506. Certius est imperante apud Romanos Ælio Adriano Aquilam quendam Sinopitam Ponticum, quem Rabb. Akibæ teterimi Christianorum hostis discipulum fuisse ex communi opinione Hieronym. in cap. VIII. Es. tradit, postquam ætate jam grandis à Christianis ad Judæos defecerat, ipsaque Ebræa elementa tum demum didicerat Christianorum odio interpretationem condidisse textus Ebraici, nec unâ contentum alteram, quam Judæi, ut inquit Hieronym. in cap. III. Ezech., κατ' ἀκριβείαν vocant, addidisse; eâ mente, ut versioni τῶν LXXta detraheret, quâ Christiani nitentur. At versiones hæ non solum obscuræ, sed & verborum κακοζήλια ridiculæ, meritò à Christianis rejectæ sunt. Hunc paulò post, si credimus Epiphanio, scepra tenente M. Aureliò Antoninò, (qui modò citatò Epiphanio, ut & aliis Græcis ac Latinis auctoribus, lib. de Mens. & Ponder. n. 16. pro Ουήε corruptè Σουήε vel Σευήε dicitur evincente Petaviò in Animadv. ad hunc locum p. 398.) excepit Symmachus Samaritanus, qui affectatum apud suos principatum non obtinens, ex indignatione ad Judæos defecit, unde ab Epiph. & Euthym. pro Judæo habetur, tandemque & horum odiis exagitatus Ebionitarum hæresin amplexus est, teste Euseb. & Hieron. Confer Possev. Appar. Sacr. Tom. 2. p. 444. Hunc tamen non tam ut Christianis, quàm ut Samaritanis noceret, à quibus desciverat, versionem suam adornasse erud. i. arbitrantur.

A

Brevi

2
Brevi post idem facere aggressus est sub Commodó M. Aurelii Antonini successore Theodotion quidam Ephesinus, ut vult Irenæus, l. 3. adv. hæres. c. 24. vel Ponticus, ut apud Epiphanium legitur, qui in luto Marcionitice hæreseos aliquandiu volutatus ad Judæorum ritus inconstantem tandem animum adiecit, teste Hieronym. & Epiphani. atque ut Marcionitarum libros falsi argueret, non tam interpretari Ebræum Codicem, quam versionem τῶν LXX. interpolare, judice Masîo, attentavit, siquidem eos, in quibus se quid videre existimabat τῶν LXXta locos mutavit, reliquos verò integros intactosque reliquit: unde Hieronym. ep. 120. *cum inter novos & veteres Interpretes medium incedere*, & in cap. II. Eccles. *in pluribus locis cum LXXta convenire*, scribit. Tandem imperante Caracallâ inventa sunt ab Origene, Hierichunte in d. liis, ut autor est Epiphanius lib. de Mens. & Ponder. & Athan. in Synopsi. vel Nicopoli, ut ex Origene refert Euseb. l. 6. H. E. c. 16. quædam sine die, Consule, & auctore interpretationes, quas dein sub quintæ & sextæ editionis nominibus Hexaplis & Octaplis suis inseruit, confer Masium l. c. & Gerhard. de Method. stud. Theol. c. 4. p. 82. Eas, tamen si auctorum nomina nota non fuerint, à Judæis tamen profectas l. 2. contra Ruff. conjicit Hieronymus. Nominanda quoque esset versio *novâ* veteribus appellata, quam aliqui procurante Herode ad postulatum Ptolomæi ultimi Regis Ægyptiorum confectam putant, alij Origeni adscribunt: allegenda foret versio Luciani Presbyteri ac Martyris, reperta Nicomedia in pariete quodam in arca marmorea, de qua Athanas. in Synopsi, itemque Hesichii, quam Ægypti Ecclesiis tradidit: Confer Hier. præf. in Paral. Sed hæc emendationes potius versionis τῶν LXX. quam novæ Interpretationes fuisse videntur. Confer Possév. App. S. Tom. 2. p. 33. & 18 f. item Bellarmin. l. 2. de Verb. Dei c. 4. Recensitas hæc versiones omnes cum antiquitate, nisi primam fortè, cujus Clem. Alex. meminit, excipias, tum auctoritate quâ in ecclesia polluere, longè vincit illa quæ vulgo LXXta Interpretum Versio dicitur. *Cum enim fuerint & alii Interpretes, qui ex Ebraea lingua in Græcâ sacra eloquiâ transfulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam est illa Interpretatio, cujus auctor non apparet, & ob hoc sine nomine Interpretis quinta editio nuncupatur, hanc tamen quæ*
LXX,

LXX. est, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia, eaq; utuntur Graeci populi Christiani, quorum pleriq; utrum aliqua sit alia ignorant, inquit Augustinus lib. 18. de C. D. c. 43. Confer Wolton. Proleg. IX. in Bibl. Polygl. Qui tamen August. unà cum Epiphania aliisque Patribus bene multis, quibus accedit Morinus praefat. in vers. LXXta auctoritate Sixti V. editam, annon nimium huic Versioni imprimis lib. 15. de C. D. c. 23. tribuerit, Theologi, ad quos controversia hæc spectat, disquirant. Nos de celebri hac Versione problema illud satis vexatum; *quò tempore eadem, numne Ptolomæi Lagi F., an Philadelphi, qui hujus filius & successor fuit, olim sit adornata?* paucis ventilabimus.

§. I.

Cum autem iudice B. Drejerò disp. 4. in prim. Philos. §. 3. *non exigua sit arrogantia, si quis aliorum omnium inventis despicatur habitis, sibi soli omnem tribuere sapientiam velit*, more Aristoteli usitatissimo, priusquam nostram sententiam aperiamus, aliorum virorum eorumque sat celebrium opiniones recensebimus, cum eos totà viâ aberrare non sit verisimile 1. Eth. c. 9. Enimverò iustrantes aliorum opiniones extra controversiam & apud omnes in confesso positum esse reperimus, Versionem τὸν LXX. post facta demum Alexandri M. ante Nativitatem tamen Christi Alexandria in Ægypto urgente Ptolomæo Rege quòdam Ægypti esse adornatam; quis autem ille Ptolomæus fuerit, cum plures ejus nominis Reges post Alexandrum ibidem existerint, dubitatur, ac inprimis quaeritur, an sub Ptolomæo Lagi Filio, qui primus Ægypti Rex fuit, an sub Ptolomæo Philadelpho, filio hujus, secundo Rege Ægypti, eadem fuerit confecta? Sunt enim, teste Masio l. cit. aliqui, ii tamen pauci, qui prius, sunt & alii, ii que numero longè plures, qui posterius affirmant. Inter prioris sententia Patronos caput est Irenæus, Polycarpi, qui Johanne Præceptore usus fuerat, Discipulus, Seculi II. Scriptor, qui libro III. adversus Hæreses cap. 25. (quem locum Euseb. lib. V. Hist. Ecclesiast. c. 8. laudat) hac de re sequentia habet: *Priusquam Romani imperium suum confirmassent, cum Macedones adhuc Asiam obtinerent, Ptolomæus Lagi Filius Bibliothecam, quam Alexandria extruxerat, omnium generium libris, quorum lectu digni essent, exornare contendens, petiit*

⁴ ab Hierosolymitanis, ut ipsorum Scripturas Græcò sermone interpre-
 tatas acciperet. At illi, (erant enim cum Macedonibus obnoxij)
 quos habebant Sacrarum literarum & utriusq; lingua peritissimos,
 septuaginta seniores ad Ptolomæum miserunt. Irenæo adjungendus
 venit Clem. Alexandr. itidem II. Sec. Scriptor, qui vulgarem secu-
 lò suò sententiã fuisse testatur, quod versio hæc tempore Ptolo-
 mæi Lagi F. lucem viderit, adeò ut tum temporis nonnulli saltem
 ejus natales ad Philadelphum retulerint; verba ejus lib. 1. Strom. p.
 342. sic habent: *Versas autem fuisse Scripturas & Legis & Prophe-*
tarum ex Ebræo sermone in linguam Græcam ajunt tempore Ptolo-
mæi Lagi Filii, aut, ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui cognomi-
natus fuit Philadelphus, cum maximam ad eam rem contulisset di-
ligentiam Demetrius Phalereus & ut verterentur, vehementer procu-
râsser. Tandem nec Theodoretum Sec. V. Scriptorem, ab hac sen-
 tentiã alienum fuisse ex præfat. ejusdem in Psalmos non malè col-
 ligunt eruditi; scribit enim ibi Vir hic in Hist. Eccles. non leviter
 versatus: *Versionem LXX, Seniorum Ptolomæi qui post Alexandrum*
in Ægypto regnavit temporibus fuisse confectam. Quibus verbis
 cum neminem nisi Ptolomæum Lagi Filium indigitâsse plus quam
 certissimum inde existit, quod Ptolomæus Lagi F. post Alexandri
 mortem cum Præfectus antea Ægypti à Perdiccâ constitutus & post-
 modum ab Antipatrò Curatore Aridæi confirmatus fuisset, teste Di-
 odor Sic. lib. 18. Deinde primus in eadem Ægyptò imitatus An-
 tigonum & Demetrium, à quibus victus erat, Regis titulum sibi
 adscivit, teste Diodor. & Just. lib. 15. c. 2. Nec ex lapsu memo-
 riæ Patres hocce talia scripsisse cuiquam facile pervaseris. Nam
 licet ambabus omninò concedendum, quædam cum historiã pu-
 gnantia ex lapsu memoriæ Patres interdum consignata reliquisse,
 prout ejusmodi locum *ἀνισορροσίας καὶ ἀναρχονομίᾳ* in Apol. II.
 Just. Mart. observat Scaliger animadv. in Chron. Euf. pag. 132 b,
 ubi personarum oblitus Martyr Ptolomæum ad Herodem misisse &
 ab eò Interpretes impetrâsse dicit: Nihilominus tamen præsentî in
 casu effugio huic verba imprimis Clem. Alexandr. reclamant, utri-
 usque opinionis disertè mentionem facientis, aliamque plurimis,
 aliam verò nonnullis attribuentis.

§. II.

Nec rationes satis probabiles defunt, quibus Versionem 7 LXX tempore Ptolomæi Lagi F. adornatam esse ostendi potest 1. Namque Ptolomæus Lagi Filius Rex fuit eruditionis & literarum aman- tissimus. Prodidit enim, ut autor est Arrianus, scriptis res ab A- lexandro gestas, quam Ptolomæi historiam & Plin. laudat l. 12. & Plutarch. commemorat in Alex. M. vitâ; unde non solum ab anti- quis, sed & à recentioribus ipse jam Bibliothecam Alexandria in- structissimam instituisse, eique Demetrium Phalereum præfecisse pu- tatur, vide Nat. Alexandr. VI. M. ætate art. 7. §. 2. p. 288. a. Accedit insuper quod idem Ptolomæus Syriam totam & Phœni- ciam ducem Nicanore subegerit Hierosolymasque ipsas Sabbati tem- pore cum omnes Judæi pro more suo vacarent à laboribus occupa- rit teste ex Agatharceide Cidno Josepho l. 12. Ant. Jud. c. 1. & l. 1. contra Appionem ut & Euf. in Chron. p. m. 138. Jam verò quid probabilis, quam hunc Ptolomæum studiis adeò deditum, & præterea cogendi Judæos potestate pollentem, si nollent tradere co- dicem suum, suæ Bibliothecæ augendæ gratiâ & postulâsse ab Ele- azarò, qui circa ultima ejus tempora (ut postea audiemus) in Ju- dæâ floruit, & impetrâsse Scripturas unâ cum Interpretibus, Ulterius 2 tempus quo ad Ptolomæum venerunt Interpretes apud Aristeam pariter ac Josephum peculiari caractere notatum reperitur, victoriâ scil. Ptolomæi adversus classem Antigoni, Sic enim Aristes Ptolomæum Interpretes ad se venientes alloquentem introducit: *Hic dies in singulos annos per totam vitam nobis erit solennis & magnus quò vos ad nos venistis, & quia contigit, ut ad nos veniretis tempore illò quò navali præliò adversus Antigonum victoriâ sumus potui, ideo volo hodie vobiscum cenare.* Idem confirmat Joseph. l. 12. Ant. Jud. c. 2. *Diem, inquit, adventus eorum (Interpretum) tam gratum sibi confessus est (Ptolomæus) ut quoad viveret, per singulos annos, redeuntem ejus memoriam colere se velle promitteret, forte enim eadem erat, quâ Antigonum navali præliò vicerat, voluitq; ut convivæ sibi essent.* Qualis autem illa, & cujus Ptolomæi adversus Antigonum fuit victoria? Dubitare nos eâ de re non sinit Diodor. Siculus, qui lib. XX Biblioth. Hist. ad annum III Olymp. 118 eandem nobis prolixè describit, enarrans, quomodo Antigonus cum Demetriò Filiò terrâ

6
marique Ægyptum adortus, partim tempestate maris classem fluctibus mergente, partim Ptolomæi Lagi militibus in littore fortiter resisten-
tibus repulsam tulerit. Quibus expositis nec convivii ob victoriam hanc institui obliviscitur, *Ptolomæus*, enim inquit, *discessu hostium majorem in modum letatus institutio Diis sacro pro beneficiis acceptis splendidum amicis epulum exhibuit*. At vero si tempore hujus victoriæ accesserunt, huicque, cujus Diodorus meminit, convivio interfuere, necessum est, eos ad Ptolomæum Lagi venisse, qui hoc convivium instituit, Diodor. Sic. teste, & per consequens ejus tempore Interpretationem sacri codicis condiditam fuisse.

§. III.

Adde 3 Versionem LXX tam ex Aristeæ & Josephi lib. 14. Aut. c. 2. relatione, quam ex Aristobuli & omnium aliorum testimoniis (si Justinum M. excipias, qui instigante Strabone Lampasceno, id factum tradit Apol. 2.) adornatam fuisse svasu & instinctu Demetrii Phalerei Philosophi insignis, Bibliothecæ Alexandrinæ Præfæcti: Quis autem ille Demetrius, quando vixit, & cujus tempore obiit? Erat Demetrius iste Phalereus Phanostrati filius, Theophrastique auditor ac Philosophus insignis, qui cum oberuditionem & prudentiam suam Athenis per X. vel ut Plutarchus vult, in vitâ Demetrii & Antonii edit. Francf. p. 893. per XV. annos principali honore eminuisset, Demetrio Polioretæ, Antigoni, Minoris Asiæ Regis, Filio, omnia Cassandri præsidia ex Græciâ & Athenis quoq; expellente, Legatus ab Atheniensibus ad eundem Demetrium, ut ipsi Democratiam expeteret, missus est, quâ impetratâ Athenisque Demetrio Polioretæ subjectis, cum videret se pristinâ ibi potestate frui non posse, è patriâ discessit, & primum Thebas, mox Alexandriam ad Ptolomæum Lagi Filium, socium Cassandri, accessit referente Diodor. Sic. l. XX. Biblioth. Histor. ad an. II. Olymp. 118. Cicero. l. V. de Fin. honorum & malorum & Euseb. in Gr. p. 179. *Apud hunc*, verba sunt Cic. l. c. *in calamitoso illò otio, multa præclara scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus ille, erat illi quasi quidam humanitatis cibus; imo apud eum Regem in rogandis ferendus, legibus primus tenebat*, teste Ælian. Var. hist. lib. III. c. 17. Postremò tandem cum Ptolomæus hic Lagi F. Philadelphum, ex Berenice susceptum filium, in regni consortium adsciscere vellet, Demetrius Phalereus restitit &, vel regnum in neminem vel in Eurydices filium,

7
filium, Ptolomaeum Ceraunum, transferendum esse svasor existit.
Unde magnam sibi Philadelphi iram attraxit, à quo in custodiam
post obitum statim Patris conjectus tandem Aspidis morsu interiit.
Sic rem edidit Heraclides in Epitome Sotion, success. citatus à La-
crtio dum inquit *Ptolomaeum Philadelpho regnum cedere voluisse,*
sed ab eo (Demetrio Phal.) decessitum fuisse cum ita dixisset:
Ἄν ἀλλοῦ δῶς, σὺ δὲ Χ' ἔξω. Plenius Hermippus Smyrnaeus, quem
Ptolomaei Everget, temporibus floruisse probabile est, & diligentis-
simum circa omnem historiam indagatorem fuisse ex Josepho lib. 1,
contra Appion constat. Is autem *Demetrium*, tradit, post *Cassan-*
dri mortem Antigonom metuentem, ad Ptolomaeum Soterem, (qui
Ptolomaeus Lagi F. est) *venisse, apud quem cum satis diu fuisset,*
prater cetera ei consilium dedisse dicitur, regnum ut Eurydices filius
relinqueret, quod cum ei non persuasisset, sed contra is diadema Be-
renices filio obtulisset, post ejus mortem hunc ipsum cum in diuione
sua custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur; hoc in loco
demissus agebat, ac forte dormiens aspidis morsu manum appetentis,
vita privatus est, sepultusque in Eufiridis praefectura prope Diospolim;
ut refert Diogen. Laert. lib. V de Vit. Philof. in vita Demetrii edit.
Londin. p. 233. In quo testimonio tametsi erroris incuset Her-
mippum Isacc. Vossius, quod post mortem Cassandri metu Antigoni
Alexandriam venisse scripserit Demetrium, cum communi Historico-
rum consensu firmatum sit, Cassandrum Antigono supervixisse conf.
Euseb. in Canon Chron. ad an. 1698. & 1700. id tamen nihil
ominus cum eruditis plerisque omnibus in eodem reperimus, De-
metrium quidem in gratia Ptolomaei Lagi F. non autem Philadelphi
fuisse, nec Bibliotheca hujus unquam praefectum. In quo ipso
Hermippo consona habet Svidas in Lexico sub voce Δημήτριος
sic enim ibi: *Demetrius Phalerus ab Atheniensibus expulsus in A-*
gyptum iit, & apud Ptolomaeum Soterem degens, ab aspidis morsu
obit. Nec multum abit, quod finem vitae concernit; Cic. Orat.
pro Rabirio Posth. *Video, inquit Demetrium & ex Republica*
Atheniensium, quam optime digesserat, & ex doctrina nobilem &
clarum, qui Phalereus vocatus est, in eodem isto Aegypti regno
aspide ad corpus admodum, vitam esse privatum. Quod si jam Demetrii
Phalerei insinuetu, ut omnes volunt, haec versio adornata est, illum
vero

8
 verò odiò Ptolomæus Philadelphus, amore autem solus Lagi Filius
 est complexus hujusque tempore in aulâ vixit, illius vero carceri
 inclusus delituit, elucescit sanè, eam Ptolomæi Lagi non Philadelphî
 temporibus esse confectam: Omnia hæc in summam redacta tale
 præberent argumentum: *Quicumque Ptolomæus Bibliothecam Alex-*
andria instituit, ejus præfectum Demetrium Phalereum habuit, ac
Antigonum præliò navali vicit, & ob hoc convivium instituit; is per
septuaginta Interpr. Scripturas transferri curavit: Atqui Ptolomæus
Lagi Bibliothecam Alexandria instituit, ejus præfectum Demetrium
Phalereum habuit, Antigonum præliò navali vicit, & ob id convi-
vium instituit, Er. Ptolomæus Lagi Interpretationem per τὰς LXX.
procuravit.

§. IV.

His tamen omnibus insuper habitis, & olim & hodie Viri
 ex Chronologiæ studiò longe celeberrimi Versionem τῶν LXX. ad
 Philadelphî tempora reducant. *Ptolomæum Philadelphum, qui lo-*
cupletissimam Bibliothecam instruxit Alexandria, Ebraeorum Sa-
cramenta in Græcum Sermonem converti præcepisse, tam certum est,
quàm eos falli, qui à Ptolomæo Lagida, ejus Patre, hoc curatum vo-
lunt. Et post pauca: *Sed de Philadelpho dubitare (an codicem*
verti curarit?) est lucernam meridie accendere, inquit Josephus
Scaliger animadv. in Chron. Euf. ad An. 1734. p. 132. Sed
 prout in asserendò Philadelphò constantes sunt omnes, ita in de-
 finiendò annò ejus, quo Scripturas verti contigerit, mirificè digre-
 diuntur. Aliqui cum Euf. ad initia ejus hoc negotium referunt:
 Alii, ut Funceius & Gerh. de Meth. Stud. Theol. c. 4. p. 26. ad
 an. 17. Alii cum Calvisiò sub An. M. 368. ad 16. Alii denique
 secuti Julium Africanum citatum à Scaligerò cum eòdem an 33.
 Philadelphî hoc factum esse arbitrantur. Et certe, ut verum fate-
 amur, assertio hæc quod nimirum regnante Philadelpho Sacra à
 LXXII. Interpretibus in Græcum versa sint eloquia, vetustissimo-
 rum Scriptorum ipsorumque hujus Historiæ conditorum habet suf-
 fragia. Aristæus, cujus scriptum asservat Biblioth. M. PP. Tom.
 XIII. quique primus hanc historiam recensuit, disertè Ptolomæum
 Philadelphum qui Patri Ptolomæo Lagi successerit, ejus auctorem
 nominat. Aristobulus Judæus Peripateticus quo non est antiquior
 laudior,

*auclor, qui hujus rei mentionem fecerit, post Aristeam, judice Scal.
 l. c. ad Ptolomæum Philometorem sic scribit: Integra verò omnium,
 quæ in lege sunt, interpretatio sub Rege Philadelpho cognominato, Avo
 tuo (πρόγονος) in Græco est) est peracta, majus hic studium De-
 metrio Phalereo adhibente & totum negotium procurante. Philo l. 2.
 de vita Mosis & Josephus lib. 12. Antiq. c. 2. Ptolomæo Philadel-
 pho expressis hunc laborem verbis adscribunt. Ex Christianis PP.
 Tertull. in Apologetico c. 18. hæc habet: Ptolomæorum eruditissimus,
 quem Philadelphum supernominant, & omnis literatura sagacissimus,
 cum studio Bibliothecarum Pissiratem, opinor, emularetur, inter ce-
 tera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad fa-
 mam patrocinabatur, ex suggestu Demetrii Phalerei Grammatici pro-
 barissimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoque postu-
 lavit, proprias atq; vernaculas literas, quas soli habebant - - Sed ne
 notitia vacaret, hoc quoq; Ptolomæo à Judæis subscriptum est, septua-
 ginta & duobus Interpretibus indultis, quos Menedemus quoq; Philo-
 sophus, providentia vindex, de sententia communionis suscepit. Non
 aliud Cyrillus Hierosolymitanus eloquitur Catechesi 4. Alexandro
 Macedonum Rege defuncto, & regno ejus in 4. Principatus divisio,
 in Babyloniâ, Macedoniâ, Asiâ & Ægyptum, unus ex his, qui in
 Ægypto regnabant, Ptolomæus Philadelphus, cum esset literarum stu-
 diosissimus Rex, & undiquaque libros congereret, à Demetrio Phalereo
 Bibliotheca Præfecto de Legis & Prophetarum divinis libris audiens
 - - Eleazaro, tum apud Judæos Sacerdoti plurima dona misit. Cal-
 culum suum his ultro adjicit ex Aristea Euseb. l. VIII. præp. Evang.
 c. 1. ubi versionis hujus Historiâ enarratâ, atq; hæc, subjicit, testa-
 tur Aristens, Vir cum imprimis eruditus, tum etiam is, qui rebus Pro-
 lomei II. cognominati Philadelphi tempore gestis interfuit, cõ enim
 regnante, imo id agente, præterea studiosè sacra Judæorum moni-
 menta, græcè translata sunt, & Alexandrinis in Bibliothecis reposita.
 Citatis hæc alii plures longâ serie subseribunt. Epiphanius nimi-
 rum lib. de Mens. & Ponder. August. l. 18. de C. D. c. 42. alitque
 passim.*

s. V.

Rationes ex historiâ hujus circumstantiis petitas, quibus præ-
 ter testimonia allegata, sententia hæc innicitur, si requiras: eas quo-
 que haud nullius esse momenti deprehendes. Namque I. Philadel-

B

phus

10
phus Rex fuit optimarum literarum studiosissimus ac Ptolomæo Lagi scientiâ haud quaquam secundus, sed ut paulò ante Tertull. dicebat, *eruditissimus Ptolomæorum & omnis literatura sagacissimus*. Sic enim de eò Philarchus apud Athenæum I. XII. c. 27., quibus conlona habet Strabo, *Ptolomæus Philadelphus*, dicens, *super omnes Ægypti Reges erat cognitionis rerum studiosus: Cùm propter corporis imbecillitatem semper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret. Qui studiorum amor eum impulit, ut longè majori desiderio quàm Pater ipsus Bibliothecam Alexandriae adornaret. Ptolomæus, cognomento Philadelphus, Alexandria Rex, scribit Epiphanius lib. de Mens. & Pond. n. 9. secundus ab altero Ptolomæo, honestarum artium amore studiòq; flagrans egregiam Alexandriae Bibliothecam instituit. In eâ urbis regione, quam Bruchium (locum horreorum publicorum vel forum frumentarium hòc nomine venire suspicatur Petavius) vocavit, quæ deserta hòc tempore vistor. Meminit hujus Bibliothecæ præter alios quoque Cedrenus & Ammianus l. 22. literatorum hominum contubernium, quod in Bruchio Alexandriae penes Bibliothecam erat, *diurnurn præstantium hominum domicilium* appellans, pluribusque quænam artes illic excultæ fuerint, enarrans. Præterea II. eum Ptolomæum, qui Judæos in Ægypto captivos libertati restituit LXXII. Interpretes sibi postulâsse. ex contentis epistolæ ejus ad Eleazarum & Judæos, quæ nobis partim Aristæas in Historiâ suâ, partim Epiphani. l. c. n. 10. recensuit, facillimè colligitur. Ast verò Ptolomæus Lagi F. captivos quidem ex Judæâ deduxit populos teste Josepho l. 12. Antiq. c. 2. Sed Philadelphus F. ejus regnum consecutus à captivitatis jugo eos liberavit Josephò & Aristæa testibus. Quare hujus non illius tempore LXXII postulatos Interpretes in Ægyptum venisse necesse est. Ulterius III. in primis Scaliger l. c. & quotquot ad ultima Philadelphi tempora hanc Scripturæ versionem referunt, provocant ad Vitruvii præcæm lib. 7. de Architecturâ: ubi ille Reges, inquit, *Attalici, magni Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Bibliothecam Pergami ad communem delectationem instituisent; tum item Ptolomæus (Philadelphus) infinitò zelò cupiditatèq; incitatus studiò non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandria comparare. Jam verò, dicunt, inter Reges Attalicos Eumenes primus, qui Philetæro fundatori hujus**

hujus regni successit, primus fuit qui sibi Bibliothecam Pergamæ comparavit. Is autem An. 23. demum Philadelphi regnare cepit, neque statim initio regni Bibliothecam concessit; itaque si hujus æmulatione Philadelphus, ut testatur Vitruvius, Alexandria suam condidit Bibliothecam, anno demum 26 circiter regni sui colligendæ ejus eum initium fecisse necessum est, ac tandem cum Bibliotheca libris jam multis abundaret, codicis sacri versionem anno 33 circiter, ut testatur Africanus, procurasse colligitur. Amplius IV si ob stare dicas, quod §. III. de Demetrio Phalereo ex Hermippo & Laertio asserbatur, eum Ptolomæi Lagi quidem temporibus in aula floruisse, sed à Philadelpho statim post obitum Patris in custodia detrusum fuisse; sunt, qui cum Salianò reponunt, eum ex custodia quoque Regi de augendâ Bibliothecâ consilia suppeditare potuisse; quæ responsio cum Scaligero & Calvisio non sufficiat (concedit enim uterque statim initio Regni Philadelphi juxta testimonium Laertii obisse Phalereum) prorsus aliam nodum hunc solvendi viam, in quâ tamen à plurimis deseruntur, ingressi, dicunt: Demetrium Phalereum curatorem Bibliothecæ Philadelphinæ nunquam fuisse, multò minus codicis vertendi auctorem svasoremque, & omnes ante allegatos auctores ab Aristæâ (sub cujus nomine Judæum quandam Alexandrinum latere putant) pro more gentis Judaicæ ad conciliandam versioni huic auctoritatem multa fingente, seductos tale quid invitâ veritate Historiæque repugnante prodidisse, arbitrantur.

§. VI.

Atque hæc fuere, quæ circa præsens problema in utramque partem ab eruditis, ut vidimus, disputantur, restat, ut quænam mens nostra sit, debitâ cum modestiâ, & Virorum, inter quos versamur, Clarissimorum æstimatione, paucis aperiamus. Videntur autem nobis, si, quod res est, dicere licet, viri hæctenus recensiti non in totum quidem, in tantum tamen à veritate recessisse; in tantum inquam, quod vel Ptolomæi Lagi F. solius, vel Ptolomæi Philadelphi solius temporibus id factum esse putarint, quod tempore utriusque contigit. Scilicet consentiente ipsòmer Scaligero certum notandumque est, Ptolomæum Lagi Filium vivum adhuc contra consilium Demetrii Phalerei Philadelpho imperium cessisse. Id enim non solum ex Hermippi testimonio superius audivimus, sed & confirmatum videmus apud

Theocritum Εἰδυλλίῳ 17, quod inscribitur Ἐγκαμίον εἰς Πτολομαίων, sic canentem:

Ὄδε κε πασι

Θρασῆσας σφετέροισι ἴππιδρέπει ὄκον ἅπαντα.

Ad quæ verba Scholiastes: Ζῶν γδ, inquit, ἐστὶ ὁ Σοτήρ ἐκωνοποίησε τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν. Et Justinus 1, 16. c. 2. inquit: Ptolomæus Lagi contra jus gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat, ejusque rei populo rationem reddiderat, cuius non minor favor in accipiendo, quam Patris in tradendo regno fuerat. Idem docet & Appianus de Syllâ, præfecturam deponente inquit: *Quæ res mihi miranda videtur, hunc virum ad eam ætatem imperium tantum nemine cogente cessisse, non Filio, ut Ptolomæus in Ægypto, Ariobarzanes in Cappadaciâ, Seleucus in Syriâ, sed his ipsis, quos tyrannide pressent.* Quò autem annò ante mortem suam id fecerit Ptolomæus Lagi, aperit nobis Eusebius lib. Canonum Chronic. pag. 59. bienniò ante mortem Ptolomæi Lagi, adeoque cùm 40 annos is regnarit, annò 38 completò id factum esse restat: Verba Eusebii sic habent: Τᾶτον (Πτολομαῖον ἔλαγγ) διαδέχεται Πτολομαῖος ὁ υἱὸς ὁ ἴππικληθεὶς, ὡς ἔφαμεν, Φιλαδέλφου, καὶ ζῶντος μὲν εἰς πατρὸς δύο πληροὶ τῆς βασιλείας ἐτη, σκοποθανούσης ἢ ὀκτὼ καὶ ἑξήκοντα. Cùm ergò certum sit Ptolomæum Lagi bienniò ante mortem Philadelpho Filio scepra tradidisse, verum quoque erit, Philadelphum duos annos vivò Patre regnum Alexandrinum obtinuisse. Atque intra hoc biennium, quò superstite Patre clavum Reipublicæ Philadelphus moderatus fuit, Versionem τῶν LXX adornatam fuisse nobis quàm maxime probabile hæctenus visum. Nec est, ut solius nostri cerebelli foetum hunc quis esse opinetur, cum de Virorum in Chronologiâ versatissimorum tam antiquorum, quàm recentiorum am.ò consensu nobis gratulari possimus. Præterquam enim quod Eusebius in Can. Chron. ad initia Philadelphi hanc rem refert, Anacolius, quem in Philosophia Principem inter doctissimos sui temporis viros locum sine controversia tenuisse recenset Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. c. 32. expressè in Canonibus Paschalibus, ex quibus quædam servavit Eusebius 1. c. Philadelpho & Patri ejus hoc negotium attribuit; sic enim de Aristobulo, (qui non confundendus est cum

cum illo juniore, Peripatetico dicto, cujus §. IV. mentio facta, confer. Sixtum Senens. & Possev. App. Tom. I. p. 116.) und ex Interpretibus scribit: ὅς ἐν τοῖς ἐξδομήκοντα κατελεγμένῳ τοῖς τοῖς ἱεροῖς καὶ θεοῖς ἑβραίων ἐμνηνεύσασσι γραφὰς Πτολομαῖω τῷ Φιλαδέλφῳ, καὶ τῷ τέτρῳ πατρὶ. καὶ βίβλος ἐξηγητικὰς ἔ. Μωσέως νόμος τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν. Ex recentioribus sententia huic patrocinantur Dionysius Petavius animadversionibus ad Epiph. l. de Mens. & Pond. ad n 9, Henricus Vales. in Annot. ad l. V. Hist. Ecc. Euseb. c. 8. Gerhardus Joh. Voss. lib. 1. de Historicis Græc. c. 12. Isaacus Vossius Dissert. de septuaginta Interpretibus c. 2. ubi, primus, inquit, quod sciam, Patens meus nodum hunc solvit (de problemate nostro locutus fuerat) in scripto de Historicis Græcis, recitò, judicavit, Versionem Sacrorum librorum curante Demetriò Phalercò factam esse, eò tempore, quò simul regnârunt Ptolomeus Lagi & Filius ejus Philadelphus. Quibus omnibus adjungendus venit Nat. Alex. Dissert. VIII. ad Ultam M. ætatem propositione 2 sic asserens: *Versio LXX Interpretum extremis Ptolomai Lagi temporibus & Philadelphi cum Patre regnantis initiis adornata est.* Cum quibus omnibus consentit Hottingerus Theol. Phil. Sect. III. Qv. 11. §. VII.

Et quid testimoniis pro hac nostra sententia tam sollicitè pugnamus, cum ex circumstantiis historiæ quædam, ni omnia antiquitatis testimonia elevare quis velit, totum negotium facillè deficienter eruere liceat. Videlicet unò ore ab omnibus antiquioribus exceptò Justinò Martyre Versio τῶν LXXta eò dicitur adornata tempore, quo Eleazarus Pontifex Judæorum & Demetrius Phalcrem Bibliothecæ Alexandrinæ præfectus fuit. At verò inquiramus paulò accuratius in tempora horum, & quid hinc pro adstruendâ assertionem nostrâ erui possit, dispiciamus. Factus autem hic Eleazarus Simonis Justi vel Prisci Frater, Summus Hierosolymis Sacerdos loco Oniæ Filii Simonis, qui patre mortuò admodum parvulus superstes remanserat, circa ultima demum Ptolomai Lagi tempora. Euf. initia Sacerdotii ejus ad annum Ptolomai Lagi 37. refert; Sic enim in Canone Chron. p. 180. ad annum Ptolomai Lagi 37. inquit: ἑβραίων δεχηρέτευσεν Ελεάζαρ, Σίμωνος ἀδελφός, ἀντ' ὧντος

B 3

παυδός



14
 παίδος Σίμωνος ἡγπία καταλφθέντ. ἐφ' εἰ γερφά ἐρη-
 νέονται, quae Hieronym. ad an. Ptolomæi Lagi 37. sic μεταφρά-
 ζει: *Judaorum Pontifex Eleazarus Emter Simonis suscepit templi mi-
 nisterium Filio Simonis Onia admodum parvulo derelicto.* Calvisi-
 us in Chronolog. sub anno mundi 3662. initia Pontificatûs ejus ad
 an. Ptolomæi L. 36. Funccius verò ad an. 35. reducit. Non ergo
 ante ultima hæc Ptol. Lagi tempora ante annum scil. 35. 36. vel 37.
 Versio τῶν LXX, adornari potuit. Sed verò nec fieri eadem po-
 tuit post initia anni tertii Philadelphi, quia Demetrius Phalereus Bibli-
 othecæ præfectus, cujus vsu Interpretes adducti feruntur, hoc tempo-
 re vel planè nō amplius in vivis fuit, vel ad minimum ab aulâ & gratia
 semotz, ut ex Laërtiō percepimz, infelicem in custodia vitam transegit.
 (Quod n. aliqui dicunt Demetrium è custodia Regi consilia suppedita-
 sisse, illud vix cum relatione Aristæ, Josephi, Epiphaniï & Hermippi
 conciliabis.) Nam Ptolomæus Lagi post cujus obitum custodiri jussus
 est Phalereus, annò secundo Philadelphi completò ut supra ex Eu-
 sebio audivimus, animam efflavit. Pronum ergo hinc, evidensq;
 extra hoc quatuor vel juxta recentiores 5 aut 6 annorum spatium
 Scripturas veri noa potuisse. Sed & hoc annorum intervallum
 ex alia adhuc quapiam historia nostræ circumstantiâ ad id præci-è,
 quod quærimus, biennium, commodè coarctari potest, ostendi-
 que ante inchoatum trigessimum nonum Ptolomæi Lagi annum τῶν
 ἐξδομηκόρα Versionem confectam esse non potuisse. Scilicet ex
 Epistola Regis ad Eleazarum, cujus exemplar aliud Aristæus aliud
 Epiphanius recenset, patet, postulatos fuisse ac mox missos Inter-
 pretes post liberationem Judæorum ex captivitate Egyptiaca. At
 verò hæc liberatio non sub Ptolomæo Lagi, sed initio statim Phila-
 delphi contigit, ceu apertis id verbis Aristæas pariter ac Josephus
 testantur, quorum uterque Philadelphum sic ad Eleazarum scriben-
 tem introducit: *Nos regnum consecuti cum aliis omnibus exhibemus
 nos humaniores tum præcipuè civibus tuis, quorum captivos ultra
 decem Myriades liberavimus.* Adeoque non ante annum 39. Pto-
 lomæi L. inchoatum quò regnare cœpit Philadelphus dimissi sunt
 captivi, & per consequens Versio, captivorum liberationem insecu-
 ta, ante hoc tempus non potuit adornari. Quæ omnia summattim
 collecta tale præbent argumentum: *Intra quod tempus Eleazarus*
Ju-

Judeorum Pontifex fuit, Demetrius verò Phalereus in gratiâ Prolomæi ac Judei ex captivitate Ægyptiaca liberati, intra id Versio τῶν LXX fuit adornata: Atqui intra biennium illud, quò supersite Patre regnavit Philadelphus, Eleazarus fuit Pontifex Judeorum, Demetrius verò Phalereus in gratiâ Prolomæi ac Judei ex captivitate Ægyptiaca liberati. Ergò intra illud biennium Versio τῶν LXX fuit adornata, adeoq; tam Prolomæi Lagi, quam Philadelphi tempore confecta. Et sanè nescio quæ commodior via dari possit, Irenæum, Clementem Alexandrinum, & Theodoretum cum aliis Scriptoribus Patribus: quæ fermè omnibus conciliandi? Nam stante nostrâ sententiâ illi invitâ veritate nihil quicquam dixere asserentes sub Prolomæo Lagi cloquia sacra esse translata, erat enim ille tùm adhuc in vivis, cumque filio regnabat; Hi verò rem acuratiùs explicaverunt, factam scilicet esse translationem accurante Philadelphò, & opus maximè urgente, qui tùm habenas Republicæ tractabat.

§. VIII.

Nihil ampliùs restare arbitramur, quàm ut paucis iis, quæ adversus hanc nostram sententiam objici possent, occurramus. Palmartum autem est, quod objicere nobis quis possit cum Scaligero animadv. in Chron. Euf. l. c. & Calvisiò ad an. 3681. alii: quæ Probationis nostræ fundamentum esse ficulneum majoremque syllogismi §. VII. dati propositionem infirmò niti tibicine. Nam falsum esse, scribunt illi hoc assertum: Intra quod tempus Eleazarus fuit Pontifex & Demetrius Phalereus in gratia Regis &c. intra id Versio τῶν LXXta est adornata; Cum falsum esse existiment, Versionem hanc Eleazaro Pontifice existente & Demetriò Alexandriæ florente esse confectam; Fingunt illud potiùs supposititii Aristæ esse, pro more gentis Judaicæ ad auctoritatem huic versioni conciliandam liberaliter mentientis, arbitrantur, reliquosque Scriptores omnes ab hoc Aristæa esse seductos. Sed respondemus 1. quid quæso est petere τὸ ἐν δὲ LXX, si hoc non est? 2. Fundamentum nostræ probationis nequaquam esse ficulneum, sed firmò constantique Historiæ atque Chronologicæ probationis principiò, testimoniis videlicet Scriptorum antiquissimorum nullâ solidâ ratione à quoquam falsitatis convictorum, inniti, adeoque majorem nostram propositionem, firmissimo adhuc sustentari talo, 3. Eandem non

non solo Aristæ fulciri testimonio, sed & aliis pluribus: Videlicet Aristobuli, auctoris Explanationis in Mosen Philometori dicaræ, cujus testimonium superius adduximus; Josephi, Patrumque fere omnium. 4. Causam illam, num liber Aristæ sit suppositus? plenè inter eruditos peroratum nondum esse. Namque (α) Scriptum Aristæ quod manibus olim Josephi tritum fuit, suppositum esse multis de causis negari potest, & vix ullâ ratione contrarium probatur. (β) Nec scriptum quod hodiè hæc de re possidemus falsum nomen mentiri (ceu primus Ludovicus Vives in August. l. 18. de C. D. c. 42. & post eum Leo Castrius, Salmeron, Scaliger, Humfredus ab Hody & alii opinati sunt,) omnibus inter doctos placet; genuinum enim illud esse Petionius observat. in Just. parænesin ad gentes, Bellarminus de Script. Eccles. Salianus in Annal. V. T. Isaacus Voss. de LXX. Interpretibus Possevinus, Usserius, Casaubonus tuentur. 5. Ponamus Scriptum Aristæ esse suppositum, anne propterea omnia, quæ in eo continentur, erunt falsa confictaque? nulla sanè apparet ratio consequentiæ, cum & in scriptis suppositiis multa verà esse deprehendantur, & quam quæso causam fingendi habuisset, iste ex quorundam sententiâ Pseudo-Aristæ Versionem τῶν LXX sub Eleazari Pontificatu instinctu Phalerei esse confectam? Respondes, ut majorem huic versioni auctoritatem conciliaret; replico, annon verò eandem Versio hæc obtinere potuisset, si sub Manasse successore Eleazari instigante Callimachò, Viro apud Philadelphum clarissimo, de quo Vossius l. 1. de Script. Græc. c. 15. confectam eandem esse dixisset? Quod cum assertione Scaligeri stare potuisset. Tandem 6. Meritò postulamus, ut nobis vel unicum ex omnibus antiquioris ævi Scriptoris adducant, ex quo ostendi possit non Eleazaro Pontifice & Phalereo Bibliothecario existente, sed sub aliis quibusdam veras esse Scripturas. Nemo enim excepto Justino Martyre, qui lapsus hoc in casu est memoria, id unquam expressis verbis negavit. Quod si autem pro suo quisque arbitrato ex recentioribus in historiis antiquis versari velit, & omnia antiquitatis testimonia si suæ non congruant sententiæ, vel refingere vel prorsus rejicere, facile quadrata rotundis & summa imis miscere poterit.

§. IX.

Uterius posset nobis quis auctoritatem obvertere Julii Africani teste Scaligerò in annum 33. Philadelphi Versionem hanc conicientis. At respondemus ad hoc 1. tempore illò & Eleazarus & Demetrius jam dudum erant mortui, 2. hunc proinde Africani errorem ad *alias hujus hominis hallucinationes*, quarum meminit Scaliger in Prolegomenis in Chron. Euf. referre non dubitamus. 3. Id jam ante nos fecit Calvisius, qui posthabita Africani auctoritate ad an. 16. Philadelphi Versionem hanc refert. De ejus tamen Chronico encomium insigne contrariae sententiae Patroni, Scaligeri adduci meretur. Ita autem illud ex prolegomenis in Canones Isaagogicos se habet: *Is (Calvisius) ex doctrinâ nostrâ luculentissimas præceptiones Chronologicas & eximium Chronicon instruxit. — Nullum anachronismum in divino illo temporum sacrario reperias, nullam delirium, nullam Phanaticam Epocham, Georgias, Jobeleorum, initij rerum.* Nec quicquam porò moramur collectionem, cujus §. 5. n. 3. mentionem fecimus, fundatam in verbis Vitruvii eodem locò adductis. Respondemus enim ad eam, nequaquam nos dubitare Vitruvium eò in locò, ubi rem hanc non Chronologicè & ex professo sed incidenter tractavit, memoriâ lapsum fuisse & à verò in verbis suis aberrasse. Idque duplici ratione moti asserimus. Namque 1. Philadelphum (de hoc enim Ptolomæo ibidem loquitur) tum demum Bibliothecam suam Alexandriae comparare coepisse, recenset, cum NB *Reges Attalici* in plurali numero Pergami Bibliothecam egregiam instituisent. At verò Eumenes successor Philetari fundatoris hujus regni, qui Philadelphus circa Bibliothecas æmulus fuit teste Plin. lib. 13. Hist. Nat. c. 11, prius concedente ipsomet Scaligerò, Bibliothecam fundare coepit, quomodo ergò verum esse potest, Philadelphum tum demum zelò cupiditatisque studiò incitatum Alexandriae Bibliothecam comparasse, cum *Reges Attalici* Bibliothecam Pergami instituisent, cum non nisi unicus Eumenes, si maxime verum foret, quod dicit Vitruvius, Bibliothecam ante ipsum instituit. 2. Mox *ávisophoray* suam manifestius prodit Vitruvius, cum Aristophanem Praefectum atque Judicem Poëtarum Alexandriae à Philadelpho constitutum

tum fuisse, & quidem ante, quàm Zoilus in Ægyptum venit, tradit. Nam licet duos fuisse Aristophānes non negemus; neutrum tamen Philadelphi *σὺγγρον* extitisse, asserimus. Aristophanes siquidem Comicus longe ante hæc tempora, avò videlicet Socratis floruit: Byzantinus verò, de quo locutus videtur Vitruvius, post hæc tempora celebris fuit, imperante Ægyptiis Philopatore atque Epiphane. Fuit enim discipulus Erathosthenis, qui sub Epiphane demum obiit, atque coævus, ut Svidas refert, Polemonis, confer Vossium lib. I. de Hist. Græc. cap. 17. & 18. & lib. 4. cap. 12. Ex quibus omnibus sole clariùs elucescit, Vitruvium aberrâsse à janua, & Philadelphum longè recentiore, quàm reverà est, fecisse, aut quod probabilius est, Philopatorem, vel Epiphanem, in quos hæc omnia quadrant, pro Philadelpho habuisse. Subrūt sic collectionis hujus fundamentò, quod in verbis Vitruvii quærebatur ipsamet facilè suâ mole ruit. Tandem, ut dicamus quod res est, concedimus æmulationem inter Philadelphum & Eumenem circa Bibliothecas fuisse, sed Philadelphum æmulatum fuisse Eumenem, ut persuasum fuit Vitruvio, negamus, contrarium verum esse asserentes.

X.

Sed quid? plurima, si hæc teneatur sententia, occurrunt, quæ & olim Scaligero visâ sunt, & hodiernum alicui improbabilia videri possunt. Videlicet 1. Philadelphum regni sui initiis ad Bibliothecam potiùs instituendam, & libros Ebræorum convertendos quàm ad regni res animum applicâsse. 2. Demetrium Phalereum, qui Princeps per tot annos Athenis fuerat, ac tot statuis ibidem illustris, quot dies annus numerat, præfectum Bibliothecæ Alexandrinæ tandem factum esse, quod improbable prorsus existit. Sed respondemus ad prius; non apparet cur administratio regni cum cura Bibliothecæ stare non possit, imprimis si Regi pergratâ pacis serenitate etiam in ipso regni sui initio frui concedatur. At verò gaudebat hæc felicitate præ multis aliis Philadelphus, utpote qui è manibus vivi Parentis pacatum sibi regnum tradentis sceptrâ consequebatur. Nullum ergò aderat impedimentum, quod ipsi tantillum temporis abstulerit, quod vertendi codicis negotio ad com-
pa-

parandum sibi perennem ex literarum studiis celebritatem impendit. Dicimus ad posterius, Phalereum ex Principe Atheniensi factum esse Bibliothecæ præfectum, nemini *ἄδοξον* videri posse, qui vel fugitivò saltem oculò DEI illimitatam in hæc inferiora potestatem & inperferutabiles in regendis hominibus vias lustraverit. Cur quæso æternum Numen, quod Pastores ad folia regia evexit, & vicissim infelicem Cræsum è thronò in pyram translocavit, ex strenuissimis ducibus mendicos & Ludimagistros fecit, hòc locò ex Principe Atheniensi Bibliothecarium Alexandrinum facere non potuit. Præterea non sanè sordidum Philosophoque indignum est officium, tam pretiosi thesauri custodem esse, ac Bibliothecæ, quam præ omnibus gazis hic Rex amavit, Curatorem,

§. XI.

Nihil tandem quoque obstat assertioni nostræ argumentum, quod §.II. n. 2. afferbatur ex eà hujus historiæ circumstantia petitum, qua accessisse Interpretes eò die Ptolomæum Lagi dicuntur, quò adversus Antigonum victoriam reportavit, & propterea convivium instituit: Hoc autem si verum est, anno jam 19. circiter Ptolomai Lagi Versionem hanc oportuit esse confectam. Sed respondemus, non quidem cum Usserio, verba hæc non hanc Ptolomæi Lagi spectare victoriam, sed aliam aliquam Philadelphi, cujus tamen nullum vestigium apud ullum Scriptorem appareat, sed dicimus enatum esse argumentum illud ex *παρεργυνεία* & vitiosà verborum Aristei pariter ac Josephi Interpretatione: Nequaquam enim hæc volunt verba illa accessisse Interpretes Alexandriam eòpsè die ejusdem anni, quò vicerat Ptolomæus Antigonum, tum enim 1. Pontifex Hierosolymis nondum erat Eleazarus, & 2. Demetrius, teste Diodor. Sicul. ante annum in Ægyptum saltem venerat, nec unquam tot librorum volumina in Bibliothecam congestisse poterat, quod ipse Ptolomæo adesse dicebat, apud Aristæam & Josephum. Alium ergo hæc verba, non hunc præ se ferre sensum necesse est. Quis autem ille? Hic est: venisse ad Ptolomæum Interpretes eodem quidem die quo vicerat Antigonum, sed non ejusdem, verum alterius anni. Scilicet instituit eòdem die, quò vicit Antigonum Ægypti Rex solenne convivium *quotannis in memoriam hujus*

rei celebrandum; contigit ergo forte fortuna, ut Interpretes eò die in Egyptum delati accederent Ptolomæum, quo memoria victoriæ ab Antigono reportatæ recurrebat. Quæ expositio ut verbis Aristotæ Græcis superius §. II. allegatis ne quicquam contrariatur, sed sponte potius ab iisdem admittitur; ita sententiam nostram ex iisdem verbis oppugnari non permittit, cum & illò tempore quo nos ad Ptolomæum venisse Interpretes statuimus ipse memoriam hujus victoriæ pro ratione instituti sui absque omni dubio celebravit, huicque convivio Interpretes accedentes adhibuit.

T A N T U M.

Corollaria Respondentis.

- I.
Enthymema non est Syllogismus imperfectus.
- II.
Inter Oratorem & Rhetorem differentia est nulla.
- III.
Ut Thema simplex, ita genus Didascalicum ignorat Rhetorica.
- IV.
Dialecticæ & Analyticæ est eadem scientia.
- V.
Dialecticæ & Analyticæ non est eadem scientia.



154071

AB: 154071


ULB Halle 3
003 902 811




82

1078
Vb 17







DISPUTATIO HISTORICO-CHRONOLOGICA,
DE

VERSIONE LXX
INTERPRETUM,
QUO TEMPORE ILLA
FUERIT ADORNATA?

QVAM

SS. TRIADE AUXILIANTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HAEREDE, &c. &c. &c.
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
PRO RECEPTIONE IN EANDEM,

IN ACADEMIA PATRIA,

placide Eruditorum συζητησας exponet

PRÆSES

M. MICHAEL GRONERT,

Reg. Pruss.

RESPONDENTE,

CHRISTIANO DEUTSCH, Reg. Pr.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO, H. C.

Anno MDCCIV. die 29. Octobr.

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS,